

6826 prope Châtillon in valle Augustana rep. 1765.

VIRIA · ST · L · CLARA
T · F · I · SIBI · ET
ST · VRIO · Q · F · PAËON
VIRIAE · ST · F · CERTAE · F

Servavit Terraneus ms., cui dedit abbas Berta.

6827 Issogne dans la cour du chateau MOCHET. In valle Augustana MAFF.

D · S · M
C · CASSIVS
CAELIAE · NVTRI
CI · BENE · ME
5 RENTI

Mochet rec. II (a priore abest); Maffei M. V. 233, 4, cui misit comes Carolus Stortilionius; de Levis ms. omnino ex Mocheto. A prioribus Promis p. 53.

Vv. aliter divisit Maff. — 3 CALLIAE Maff.

LXXVIII. AVGVSTA PRAETORIA (Aosta). Tribu Sergia

Primus, qui epigrammata habeat descripta Augustae Praetoriae, PIN-
GONIUS est auctor saec. XVI vergentis. — Post hunc Rolandus VIOT
quamquam in libro edito (*miroir de toute sainteté en la vie du saint
merveilleux Bernard de Menton*. Lyon 1627. 12. pp. 384) inscriptiones
nullas posuit nisi inepte fictas dei Poenini (v. n. 728*. 729*), in
scripto *histoire ou chronologie du duché d'Aoste* (exempla duo vidi
Taurinis in tabulario regio, quorum alterum antea fuit Gioffredi, alterum
idque plenius quodque solum inscriptiones habet in praescriptione tri-
buitur fratri Capucino Francisco Génand) eiusdem fere aetatis (scripsit
auctor sub episcopo Aug. Ioh. Baptista Vercellino, id est inter a. 1623 et
1651) praeter ficticias illas etiam genuinas quasdam recenset descriptas de
saxis. — Viotum secutus est Daniel MONTERIN, cuius 'totius vallis Augustanae
compendiariae descriptionis' in tabulario regio Taurinensi extant apographa
duo, corrupta ambo, sed ut recentius praestet antiquiori. Usus est Mon-
terinus Viotianis; quae narrat desinunt in a. 1641 (nam quae in altero
exemplo f. 10 habet de anno 1654, ea ab altero absunt) nec videtur multo
post eum annum scripsisse. Viotianis ut genuina pauca addidit, ita duos
titulos Madernensem n. 4854 = 726* et Mediolanensem n. 5859 sua fraude
ad Augustam rettulit, ut illum etiam immutaret. — Longe his praestat
Ioh. Claudius MOCHET sive Mouchet notarius Augustanus. Is de rebus
patriis collectanea reliquit satis ampla inscripta *Profil historique et dia-
graphique de la tres antique cité d'Aoste* in utroque volumine mihi viso,
sed ipsa volumina plane differunt. Alterum servatum in bibliotheca regia
Taurinensi n. 973 descriptum hoc saeculo ex exemplo, quod fuit mo-
nasterii Augustani S. Francisci minorum conventualium, priorem recen-
sionem auctoris exhibet forma collectaneorum magis quam operis per-
fecti; alterum non magis autographum servatum in tabulario regio Tau-
rinensi opus proponit ad finem perductum. Hoc post a. 1651 absolutum
est dedicatumque Carolo Emmanueli II, qui ab a. 1650 ipse regnare
coepit, diem obiit a. 1675. Priorem recensione, in cuius fine quae-
dam leguntur ad a. 1657. 1658 pertinentia, non multis annis ante alteram
scriptam esse existimo, nec assentior Promisio ad a. 1630 eam referenti.
Exempla bona sunt versusque ordinem servant praestatque in lectione
codex prior, cum locorum indicatio plenior legatur in posteriore. Quae
ex Monterino excerpsit Mochetus, pleraque in hac demum accesserunt.
Secutus sum praesertim codicem priorem, cuius etiam folia citavi, sed ut
posterioris quoque ubi opus esset ratio haberetur. — Anonymus auctor
is cuius est *histoire du duché d'Aoste* (cod. bibl. reg. Taurin. n. 344)
inscriptiones certe male compilavit ex solis commentariis Mochetianis;
ex Anonymi rursus sumpta sunt Augustana MURATORII ea quae leguntur in
fasciculo schedarum eius XXI, 231. — GUICHENON (1660) paucas quas
refert Augustanas (I, 45—48) omnes fere ait vidisse se, et vidit sine
dubio, sed exempla dedit fere Vioti, cuius schedas adhibuerit necesse est. —
GIOFFREDUS quae Augustana posuit in theatro statuum Pedemontanorum
edito a. 1682, pleraque sumpsit ex editis a Guichenonio; praeterea et adhi-
buit schedas Monterinii (v. n. 6897) et quaedam ipse excepit. — FRANCISCUS
BERNARD (*le heros des Alpes ou la vie du grand St. Bernard de Menton*,
Aostae 1683. 12) totus pendet ex Monterino. — Anno 1730 scripsit DU

TILLET secretarius municipii Augustani librum *recueil historique et géo-
graphique sur la vallée et le duché d'Aoste*, quem vidi auctoris opinor manu
emendatum in bibliotheca regia Taurinensi n. 545 (a quo exemplo absunt
quaedam deficientibus paginis 15. 16). Praeterea ex eodem volumine
excerpta esse repperi quae extant in schedis Muratorianis XVIII, 224,
quae in editione MURATORII laudare solet sub nomine Caissotti. Auctor
totus pendet ex Mocheto neque quicquam adiecit nisi titulos quattuor
extremos post Mochetum repertos. Mochetum ubi expilavit, ibi Tille-
tium ego raro citavi. — Titulos domus hodie Gerbore antea Cristiani
parietibus immissos ibi collectos et expositos esse cura comitis DE
BARD ante a. 1811, quo eam domum condidit, Gal auctor est in
commentariolo mox citando a. 1831. — GAZZERA qui Augustae eo
tempore extarent titulos descriptos habuit a pluribus. — Nostro denique
tempore Iohannes Antonius GAL Augustanus praepositus S. Ursi de pa-
triis antiquitatibus optime meruit non tam libris suis (vidi commentario-
lum eius scriptum a. 1831 *Antiquités d'Aoste*, item alterum *coup d'oeil
sur les antiquités du duché d'Aoste* insertum ephemeridi societatis Au-
gustanae: *quatrième Bulletin de la société académique du duché d'Aoste*
a. 1862. 8. pp. 30) quam consilio et auctoritate. — Eduardus AUBERT
edito libro *la vallée d'Aoste* (Parisiis 1860. 4. pp. 279) titulos harum
partium plerosque curiose descriptos inseruit ligno incisos. Denique
is, quem iure dicimus epigraphiae Pedemontanae sospitorem, Carolus
PROMIS in praeclaro opere *le antichità di Aosta, Augusta Praetoria Salas-
sorum* (Taurinis 1862. 4. pp. 208 cum tabb. 14; est item actorum Tauri-
nensium vol. 21 a. 1864) non solum oppidi formam antiquam restituit
et monumenta artis Romanae ibi servata illustravit, sed etiam titulos
sedulo et docte collegit.

Salassos non satis coercitos neque continuis consulum urbis Romae pro-
consulumque Galliae citerioris incursionibus nec condita in eorum agro
a. u. c. 654 colonia Eporedia (vide supra p. 751) tandem Caesar Augustus
non tam subegit quam exterminavit. Iam cum primum adversus barbaros
a septentrione venientes Italiae claustra munire coepit, adversus Sa-
lassos misit primum Antistium Veterem (Appian. Illyr. 17), deinde cum
rebellarent a. 720 M. Messallam Corvinum oratorem (Dio 49, 34 ad
a. 719: οἱ Σαλασσοὶ . . . ἐπανάστησαν. c. 38 ad a. 720: τοὺς Σαλασσοὺς
καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς μετ' αὐτῶν νεωτερίσαντας ὁ Μεσσάλας Οὐαλέριος
ἐχειρίσασατο. Appian. l. c. Strab. 4, 6, 7: Μεσσάλας δὲ πλησίον αὐτῶν χειμα-
δένων τιμὴν ξύλων κατέβαλε τῶν τε κινσίων καὶ τῶν πτελείνων ἀκοντι-
σμάτων καὶ τῶν γυμναστικῶν). Sed Varro Murena demum a. u. c. 729 eos
domuit captivis omnibus Eporediae sub corona venditis. Strab. l. c.:
ἵσπερον κατεστρέψατο αὐτοὺς ἄρδην ὁ Σεβαστὸς καὶ πάντας ἐλαφροπώλησε
κομισθέντας εἰς Ἐποραϊδίαν . . . τῶν μὲν οὖν ἄλλων σωμάτων τρεῖς μυριάδες
ἐξητάσθησαν ἐπὶ τοῖς ἑξακισχίλοις, τῶν δὲ μαχίμων ἀνδρῶν ἑκτακισχίλιοι·
πάντας δ' ἐπώλησε Τερέντιος Οὐαῤῥῶν ὑπὸ ὄβρι καταστρεφόμενος αὐτοὺς στρα-
τηγός. Dio 53, 25 ad a. 729: ἐπὶ μὲν τοὺς Σαλασσοὺς Τερέντιον Οὐαῤῥῶνα
ἐπεμψε, καὶ ὅς . . . ῥᾶστέα τε αὐτοὺς . . . ἐνίκησε . . . καὶ τοῦτου πανταχῆ
. . . στρατιώτας διαπέμψας συνέλαβέ τε τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ καὶ ἀπέδοτο, ἐφ'
ὧ' μηδεὶς σφῶν ἐντὸς εἴκοσι ἐτῶν ἔλευθ' Ἰερωθεῖ. Liv. ep. 135: Salassi gens